12689/P

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA

# DE FRUCTIBUS

TAM INDUSTRIALIBUS

QUAM

NATURALIBUS PERCEPTIS, BONÆ FIDEI POSSESSORI

ASSERENDIS,

QUAM

SUB AUSPICIIS DIVINIS

*EX HONORIFICO DECRETO*

ILLUSTRIS FACULTATIS JURIDICÆ

IN ALMA ARGENTORATENSIUM UNIVERSITATE

*PRO LICENTIA*

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES

*ET PRIVILEGIA DOCTORALIA*

RITE CAPESSENDI

SOLENNITER TUERI CONABITUR

*DIE XXVIII FEBRUARII A. R. S. MDCCLXXII.*

JOAN. JACOB. HIER. CONRAD.

BAVELAËR

*SELESTADIENSIS.*

H. L. Q. C.

ARGENTORATI, typis FRANCISCI LEVRAULT, Regiæ Intendentiæ Typographi.

*DEO*

PATRIÆ

PARENTIBUS

*PATRONIS*

ATQUE

*AMICIS*

SACRUM.

*Q. D. B. V.*

# DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA

# DE FRUCTIBUS,

## TAM INDUSTRIALIBUS QUAM NATURALIBUS PERCEPTIS, BONÆ FIDEI POSSESSORI ASSERENDIS.

### § I.

QUANDOQUIDEM Dominus rem ſuam a quolibet, propter jus ſibi competens, nec ulla extinctum uſucapione, vindicat, ita & ille, qui rem quantavis bona fide poſſideat, eam Domino rei vindicatione experiunti reſtituere tenetur. Neque enim bona fides, neque juſtus titulus contra Dominum vindicantem ſatis firmum poſſeſſori circumponunt præſidium.

Quemadmodum vero tum non modo res reſtituenda venit, ſed & acceſſiones, ſimiliter & ſæpe numero de fructibus diſceptatur, an & illi ſint reſarciendi; ſive ſint naturales, ſive induſtriales, quando ſemel a poſſeſſore ſunt percepti? Hujus quæſtionis diſcuſſionem uſu fori non deſtitutam, haud inutilem & ingratam fore duxi, ſi eam per modum ſpeciminis academici in me ſuſciperem.

## § II.

Imperator JUSTINIANUS § *35. Inſt. de Rer. diviſ.* de hac quæſtione ita ſanxit. *Si quis a non domino, quem dominum eſſe crediderit, bona fide fundum emerit, vel ex donatione, aliave qualibet juſta cauſa æque bona fide acceperit; naturali ratione placuit, fructus quos percepit ejus eſſe pro cultura & cura, & ideo ſi poſtea dominus ſupervenerit, & fundum vindicet, de fructibus ab eo conſumptis agere non poteſt.* Non ſolum vero res ſoli fructus edere, ſed & animalia in fructu eſſe, & fructus fundere, adeoque & circa eoſdem eandem juris diſpoſitionem obtinere evincit, *L. 28 pr. ff. de uſur. & fruct.* ubi GAJUS ita ſcribit: *In pecorum fructu*

*etiam fœtus eſt, ſicut lac, & pilus & lana. Itaque agni & hædi & vituli ſtatim pleno jure ſunt bonæ fidei poſſeſſoris.* Quo & PAULUS *L. 48. pr. ff. de adquir. rer. domin.* alludit. *Bonæ fidei emptor non dubie, percipiendo, fructus etiam ex aliena re, ſuos interim facit, non tantum eos, qui diligentia & opera ejus pervenerunt; ſed omnes, quia quod ad fructus attinet, loco domini pene eſt.*

## § III.

His legibus inſpectis, & probe ponderatis, in proclivi eſt aſſerere; quod ea, quæ percipiendo acquiri poſſint, ſint fructus, ſive ex ſolo ſint nati, ſive alia ratione ex re provenientes. Pariter quod id beneficii tributum ſit bonæ fidei poſſeſſori, id eſt ei, qui ignorat rem eſſe alienam, aut qui rem animo dominii tenet, & juſtam cauſam habet, exiſtimandi rem ad ſe potius quam ad alium quemvis pertinere, ex ratione quia arbitratus eſt, eum a quo rem juſto accepit titulo, ejus dominum fuiſſe, aut jus alienandi habuiſſe. *L. 109. ff. de verbor. ſignif.* unde malæ fidei poſſeſſorum hic nullæ ſunt partes. *§ 35. Inſt. de rer. diviſ. L. 22. Cod. de rei vind.* denique

quod modus acquirendi ſit perceptio, idque naturali ratione uti ait Imperator JUSTINIANUS *cit.* § *35. propter culturam & curam.* Percepti autem fructus illi dicuntur, ſimul atque a terra, qua tenebantur ſeparati ſunt: aut, cum ſe terra continere deſierunt, veluti ſpica, aut fœno cæſo, uva abſciſſa, olea excuſſa, nucibus aut pomis dejectis, aut decerptis; licet fructus nondum collecti, aut evecti, aut in horreum, vel cellam, aut alium locum, his rebus ſervandis aptum, & deſtinatum, fuerint reconditi; unde licet frumentum nondum ſit trituratum, paleiſque purgatum, nec ex uvis & oleis vinum aut oleum expreſſum, tamen & illud, modo falce a terra demeſſum, & hæc a ſolo disjuncta, & ſeparata ſint, bonæ fidei poſſeſſorem ſequuntur. *L. 13. ff. quib. mod. uſufr. amitt. L. 26.* § *1. ff. de uſuris. L. 78. ff. de rei vind.* In animalibus pariter ſufficit, fœtum editum, lac expreſſum, lanam detonſam eſſe, ad id ut dicatur, bonæ fidei poſſeſſorem ea percepiſſe, percipiendoque ſua feciſſe. *L. 28. ff. de uſur. L. 48.* § *2. ff. de adquir. rer. dom.*

## § IV.

Quum Imperator JUSTINIANUS poſſeſſoris bonæ fidei facto, id juris tribuat, ut fructus percipiendo ſuos efficere poſſit, dubitatur num fructus, ſi ſponte de arboribus v. gr. deciderint, nullo ejus facto interveniente, percepiſſe, adeoque ſuos feciſſe dici poſſit? Dubitandi rationem ſubminiſtrat, *L. 13. ff. quib. mod. uſusfr. vel uſ. amitt.* ubi negatur uſufructuarium hos fructus ſibi habere poſſe; aſt cum ſæpe numero conditio bonæ fidei poſſeſſoris uſufructuarii conditioni æquiparetur, videtur ac ſi idem in bonæ fidei poſſeſſore aſſerendum ſit. Sed reſpondeo, quod licet in quibuſdam conveniant, non ſunt tamen in omnibus ſibi pares; nam bonæ fidei poſſeſſoris conditio hac in parte lautior eſt, quia ipſi omnes fructus adjudicantur, licet ſua opera non decerpti, ſi modo ſint à terra ſeparati. *L. 13. ff. in fin. quib. mod. uſusfr. amitt. & L. 25. ff. de uſur.* Cæterum videtur, ac ſi de bonæ fidei poſſeſſore dici non poſſit, quod jam perceperit fructus, ſi eorum ſeparationem a terra duntaxat fecerit, uti a me id ſupra factum *ob. L. 48. pr. ff. de acquir. rer. dom.*

ubi ita legitur : *Denique etiam priuſquam percipiat, ſtatim ubi a ſolo ſeparati ſunt bonæ fidei poſſeſſoris ſiunt* : quibus verbis perceptio & ſeparatio a ſolo tanquam diverſa occurrunt. Verum facilis eſt hujus dubii tranſactio, ſi diſtinguatur inter perceptionem perfectam & nondum perfectam, ille perfecte percepit, qui non modo uvam vel oleum legit, ſed & qui vinum & oleum fecit, *L. 78. ff. de rei vindicatione*; ſed hac perceptione perfecta non eſt opus, ſed plus non requiritur, quam ut perceptio ſit cœpta, adeoque a ſolo fructus ſint ſeparati, ad id ut bonæ fidei poſſeſſorem ſequantur, uti ex citatis legibus patet.

Cæterum non credendum eſt, ac ſi perceptio ſit ſola & præcipua hujus acquiſitionis cauſa, neque etiam cultura, aut cura a bonæ fidei poſſeſſore rei impenſa, ut propterea fructus inde natos ſibi indipiſcatur : ſi enim verum foret, perceptionem, aut culturam & curam eum producere effectum, ut fructus ex re poſſeſſa poſſint acquiri ; ſequeretur, & malæ fidei poſſeſſorem hos fructus ſibi attribuere poſſe, id quod tamen invita lege aſſereretur. Unde

rectius

rectius adſtruitur, quod ratio palmaria reſideat in bona fide poſſeſſoris, quæ efficit, ut *pene pro domino habeatur L. 25. § 1. ff. de uſur. & L. 48. ff. de adquir. rer. dom.* tantumque præſtet poſſidenti, quantum rei veritas, ubi lex impedimento non eſt, *L. 136. ff. de regul. jur.* Perceptio enim fructuum, magis hic conſideranda eſt tanquam *cauſa ſine qua non.*

## § V.

Cum fructus diverſi ſint generis, civiles nempe, & naturales, & hi iterum vel *ſimpliciter naturales*, quos ſola producit natura, nulla humana opera concurrente, vel *induſtriales*, quos ſedulitas & diligentia hominis elicit, adjutrice natura, ſermo mihi hic non erit de civilibus, ſed de ſolis naturalibus, ſive illi ſint tales ſimpliciter, ſive induſtriales, ad illos referuntur, poma, oleæ, nuces, lignum, fœnum, &c. in cenſum horum veniunt ſegetes, legumina, aliaque in agris ſata, item fructus pecudum; quippe quæ curam & culturam hominum prorſus exigunt; niſi enim hæc adhibeatur, fruſtra ulla ab iis exſpectes commoda, quia natura induſtriæ, diligentiæ, & hominum ſollicitudini ea addixit. Et de his valet il-

lud SENECÆ 2. *de Beneſ. Nihil in fructum pervenit, quod non a primo uſque ad extremum æqualis cura proſequitur.* Præter id, quod hæc diſtinctio ſana ratione nitatur, fundata quoque eſt aperte *in L. 45. ff. de uſuris.*

§ V I.

Nunc vero quæritur, num fructus naturales in ſpecie ſic dicti, æque ad bonæ fidei poſſeſſorem referendi ſint, ita ut percipiendo ejus fiant, ſicuti id in induſtrialibus accidit? Ego non dubito hanc quæſtionem affirmare. Neque enim mihi veriſimile evadit, qualitatem fructuum quicquam mutationis huic deciſioni inferre; adeoque prorſus in ea verſor ſententia, bonæ fidei poſſeſſorem fructus naturales, juxta ac induſtriales, percipiendo ſuos facere. Suppetunt rationes, quæ me ad hanc affirmativam ſententiam arripiendam impulerunt, non contemnendæ. Prima eſt deducta *ex § 35. Inſtit. de rer. diviſ.* ubi nulla diſtinctio inter fructus deprehenditur, qualis nec invenitur in *L. 48. ff. de acquir. rer. dom. L. 13. ff. quib. mod. uſusfr. amitt. L. 78. ff. de rei vind.* Religioni vero mihi duco, legi non diſtinguenti, diſtinctionem infarcire. Secunda ratio trahitur ex *L.*

*28. ff. de uſur.* ubi GAJUS ſcribit : *In pecudum fructu etiam fœtus eſt, ſicut lac, pilus & lana : Itaque agni, & hædi, & vituli, ſtatim pleno jure ſunt bonæ fidei poſſeſſoris, & fructuarii.* Ratio quam affert GAJUS, cur debeant eſſe bonæ fidei poſſeſſoris, conſiſtit in eo, quod ſint in fructu, unde infero, quicquid fructuum nomine venire poteſt, illud ex ratione GAJI pertinere debet ad bonæ fidei poſſeſſorem ; atqui fructus naturales ſunt fructus, quia ſunt in fructu ; ergo : Rationem tertiam adminiſtrat *L. 13. ff. quib. mod. uſusfr. amitt. & L. 78. ff. de rei vindicat.*, ubi & olea mox cum percepta, ſive excuſſa eſt, & fœnum ſimul ac cæſum, & à ſolo abſciſſum, ſeparatumque eſt, illico bonæ fidei poſſeſſoris fieri, diſponitur. Atqui olea vel maxime fructus naturalis eſt, quippe quæ nec ligonem, nec raſtrum, ullamve ſollicitam deſiderat curam ; teſtante PLINIO *Lib. 15. nat. hiſt. Cap. I.* Sicuti & fœnum, quod ſpontaneus & nullo labore, nulla induſtria humana provocatus fructus eſt, ſed a mera natura editus ; unde non dubitandum, quin fructus mere naturales, cujuſcunque ſint naturæ, bonæ fidei poſſeſſori ſine attribuendi.

## § VII.

Pergo ad quartam rationem, quam mihi ſuggerit *d. § 35. Inſtit. de rer. diviſ. & L. 22. Cod. de rei vind. § 2. Inſtit. de off. Jud. L. 4. § 2. ff. fin. regund.* In his legibus aſſeritur, dominum convenire bonæ fidei poſſeſſorem non poſſe, de fructibus conſumptis nempe ante litis conteſtationem, verum hunc lucrari eos, quos nempe percipiendo ſuos fecit. Unde colligo: quod bonæ fidei poſſeſſor, quoniam omnes lucratur fructus conſumptos, nullo diſcrimine habito, omnes etiam lucretur fructus naturales perceptos, percipiendo ſuos factos. Fundus quintæ rationis, quæ plane peremptoria eſt, habetur *in L. 48. ff. de adquir. rer. dom.* ubi PAULUS ſic ſcribit: *Bonæ fidei emptor non dubie, percipiendo fructus etiam ex aliena re ſuos interim facit, non tantum eos, qui diligentia & opera ejus pervenerunt, ſed omnes: quia quod ad fructus attinet, loco domini pene eſt.* Quis eſt? qui non perſpiciat verbum *omnes* univerſalitatem complectens, fructus etiam diverſi generis & qualitatis, deſignare, adeoque cum PAULUS paulo ante de fructibus, opera & induſtria bonæ fi-

dei poſſeſſoris productis diſcerniſſet, eoſque ipſi adjudicaſſet, ſubjungit deinde ampliationem, adſtruendo, non modo hos fructus induſtriales bonæ fidei poſſeſſoris fieri, ſed omnes, id eſt etiam mere naturales: & hunc eſſe dicti ſenſum logicum indigitat ratio, quam Jurisconſultus ſtatim ſubnectit; *quia quod ad fructus attinet, loco domini pene eſt.* Neque enim a me impetrare poſſum, ut quorundam interpretum ſententiam probem; qui illa verba PAULI, *ſed omnes* reſtringunt ad fructus induſtriales, non ab ipſo bonæ fidei poſſeſſore, ſed ab alio ſatos & productos, perhibentes legem citatam eum fundere ſenſum, bonæ fidei poſſeſſorem non modo eos fructus percipiendo ex re aliena interim ſuos facere, qui diligentia & opera ſua provenerunt, ſed etiam omnes aliena induſtria & opera provenientes. Verum in proclivi eſt videre, verbum *omnes*, non reſpicere operantes, ſed unice fructus, adeoque eo indicari fructus omnes, licet ſint diverſi generis & qualitatis, id eſt, ſive ſint induſtriales ſive naturales, hos omnes ſpectare ad b. f. poſſeſſorem, ex ratione in lege ſubjecta, quæ ſane in naturales æque ac in induſtriales quadrat, quia quod ad fructus attinet, loco domini pene eſt.

## § VIII.

JULIANUS *in L. 25. § 1. ff. de uſur.* eadem ratione ad firmandam propugnatam ſententiam utitur ac PAULUS, imo ulterius adhuc progreditur ſcribens : *Bonæ fidei poſſeſſorem jure ſoli fructus percipere, atque in fructibus percipiendis magis corporis jus ex quo percipiuntur, quam ſeminis, ex quo oriuntur, ſpectari* : unde elucet, non poſſe fieri ut induſtria, opera, & cultura, ſit vera cauſa hujus acquiſitionis ; etenim ſi jure ſoli fructus à bonæ fidei poſſeſſore percipiuntur, conſequitur omnes omnino fructus, qui in ſolo naſcuntur, ſive induſtria & labore humano producti fuerint, ſive non, ad hanc acquiſitionem & perceptionem pertinere, & hinc omnes, licet ſint diverſæ qualitatis, ejuſdem conditionis & juris eſſe. Tandem ſi bonæ fidei poſſeſſor ſibi quoque acquirit fructus, etiam ab alio ſatos, in quos ipſe neque operam, neque induſtriam ullam impendit, quanto magis ſuos faciet naturales, qui cura illius, ſi non naſcuntur, ſaltem colliguntur & conſervantur.

## § IX.

Sententia tamen quam tueor, non omnibus Doctoribus arridet, ſed ſunt, quos inter princeps eſt HUBERUS *in prælect. ad Inſtit. L. 2. tit. 1. § 46.* qui eam ſubruere tentant; urgentes verba § *35. de rer. diviſ.* ubi Imperator JUSTINIANUS ait: naturali ratione placuiſſe fructus, quos percepit, bonæ fidei poſſeſſoris eſſe *pro cultura & cura*; Ex his ultimis verbis quæ captant, concludunt, nonniſi induſtriales fructus ſequi bonæ fidei poſſeſſorem, ob operam & culturam iis impenſam, non vero fructus naturales, quia ratio culturæ & curæ in iis deficit. Sed reſpondeo fructus mere naturales dari pauciſſimos, niſi forte ſylveſtres, & hi tamen curam in colligendo & conſervando requirunt; ergo dum fructus dividuntur in naturales & induſtriales, id non explicandum de mere naturalibus & mere induſtrialibus; nam uti induſtriales etiam producuntur a natura, ita naturales non excludunt induſtriam; quia vero omnis denominatio fieri ſolet a potiori; hinc ubi impenſæ in curam multæ ſunt, induſtriales vocantur, ubi pauciores dicuntur naturales. *Vid.*

HUBER. *loc. cit.* Vix enim ulla res eſt, quæ ſine cultura aut cura aliqua ferat fructum; coluntur agri, curantur pecora, plantæ; putantur arbores, vites, ut omnibus notum eſt; oleæ quoque attonderi & interradi gaudent: teſte PLINIO *Lib. 15. C. 1.*. Sed largiamur fructus quoſdam, nulla interveniente induſtria, opera & procuratione humana, a natura edi, uti ſylvam cæduam, poma, nuces, alioſque fructus ſylveſtres, hos tamen nihilominus bonæ fidei poſſeſſori relinquendos eſſe exiſtimaverim, ex ratione ſuperius a me adducta, quia præcipua & adæquata hujus acquiſitionis cauſa, eſt bona fides poſſeſſoris, quæ efficit, ut tanquam alter dominus jure ſoli percipiat fructus; unde neceſſario conſequitur, ut percipiendo etiam ſuos faciat eos, in quos neque culturam neque curam ad eos producendos impendit, licet non defecerit cura in iis colligendis & ſervandis. Succinit mihi FACHINÆUS *Lib. 1. Cap. 17.* dicens: *Non recte ſumi argumentum a contrario ſenſu, quia licet bonæ fidei poſſeſſor pro cultura & cura induſtriales fructus nuncupatos ſuos faciat*, *nihilominus tamen lucratur etiam fructus naturales, quia loco domini habetur.* Cujus ſententiæ

quoque

quoque ARIUS PINELL *ad leg. 2. Cod. de reſcind. vend. parte 2. Cap. 4. n. 59.* ANTON. FABER *Lib. 4. conject. jur. Cap. 17.* HERMANUS VULTEJUS *Libr. un. ſcholaſticar. diſceptat. Cap. ult.* CARPZOV *part. 3. conſtit. 32. def. 28* MEVIUS *p. 2. deciſ. 213. & p. 4. dec. 366.*

## § X.

Opponitur mihi adhuc *L. 45. ff. de uſur. & fruct.* ubi POMPONIUS ita ſcribit : *Fructus percipiendo uxor vel vir ex re donata ſuos facit, illos tamen quos ſuis operis acquiſierit; veluti ſerendo; nam ſi pomum decerpſerit, vel ex ſilva cædit, non ſit ejus; ſicuti nec cujuſlibet bonæ fidei poſſeſſoris; quia non ex facto ejus is fructus naſcitur.* Ex hoc loco inferunt interpretes, inter quos præcipue eminet HUBERUS *loco ſupra cit.* § *56*; fructus naturales, id eſt ſpontaneos, facto & opera bonæ fidei poſſeſſoris non productos, ad eum non pertinere; quia ratio legis, ob quam maritus ex re ab uxore donata non acquirit fructus, *niſi quos operis ſuis acquiſierit*, generalis ſit, & fundetur in his verbis legis *ſicuti nec cujuſlibet bonæ fidei poſſeſſoris fiunt*, quæ verba non particu-

larem ſed univerſalem negationem inferre, adeoque bonæ fidei poſſeſſorem, nullos alios fructus, niſi qui operis ſuis producti ſint, id eſt induſtriales, & hinc non naturales, acquirere exiſtimant. Sed agite, videamus annon alius ſenſus, qui planior, his legis verbis ſubſit, quam is eſt, quem huic legi affingunt. Quid enim ait Jurisconſultus : *Non cujuſlibet bonæ fidei poſſeſſoris fieri fructus, qui ex facto ejus non naſcuntur* : qua in re conſentiens ſum ; ſed ſimul addo, eum tamen bonæ fidei poſſeſſorem, qui ex juſta cauſa, & titulo legibus non improbato, rem ab eo, quem dominum eſſe putabat, accepit, fructus omnes ex ea re perceptos ſuos facere ; id ipſum quoque POMPONIUS non negat, quippe qui non dicit, nullius bonæ fidei poſſeſſoris tales fructus fieri, ſed *non cujuſlibet* ; quam enunciationem non eſſe generalem, ſed potius particularem uſus loquendi ſatis oſtendit. Qui enim ita dicit, non cuivis homini id fortunæ contingit, ut ad dignitates adſpiret, is non negat, quoſdam ad honorum faſtigia eniti, imo tacite fatetur & innuit, quibuſdam id conceſſum eſſe, ut eo perveniant; & cum idem POMPONIUS *L. 6. pr. ff. de contract. empt.* ſcribit; non cujuſcun-

que rei venditionem, aut alienationem eſſe, id non habet eum ſenſum, nullius rei eſſe venditionem, quale quid aſſerere inſulſum & abſonum foret, ſed quarundam duntaxat rerum non eſſe, nempe earum, quas vel natura, vel gentium jus, vel mores civitatis, commercio exemerunt; cæterarum autem rerum eſſe, *L. 34. § 1. ff. de contrah. empt.* Igitur in hoc effato, *non omnis aut non quilibet bonæ fidei poſſeſſor fructus naturales ſuos facit*, tantum abeſt ut POMPONIUS omnes bonæ fidei poſſeſſores a fructibus naturalibus prorſus excludere voluerit, ut potius dicendum, niſi vim normæ loquendi inferre velis, POMPONIUM quoſdam bonæ fidei poſſeſſores eorundem participes reddere, alios vero ab iis arcere, adeoque duo diverſa eorundem genera facere, alterum nempe eorum, qui fructus naturales ſuos non faciunt, alterum vero, qui hos ſuos etiam faciunt; rem quoque ipſam ſic ſe habere evidens eſt; non omnis enim bonæ fidei poſſeſſor fructus omnes percipiendo ſuos facit, ſed is ſolum, qui juſto titulo poſſidet, cauſamque juſtam habet, cur exiſtimet rem ad ſe pertinere. Qui autem juſto titulo deſtituitur, quamvis in jure errans ſe dominum factum putet,

naturales fructus ſuos non facit, ne cui ignorantia juris in compendiis proſit, contra *L. 4. L. 7. L. 8. ff. de jur. & fact. ignor.* licet alioqui non malæ, ſed bonæ fidei poſſeſſor exiſtimandus ſit, qui dolo caret, etſi in jure errat *L. 25. § 5. ff. de hæredit. petit.* Unde poſſeſſor hæreditatis, licet ſit in bona fide, tenetur in quantum factus eſt locupletior, adeoque fructus naturales, quia inde incrementum bonorum fecit, reſtituere tenetur, *L. 25. § 11. ff. de hæredit. petit;* atque de hoc genere b. f. poſſeſſorum verba POMPONII, ſicuti nec cujuſlibet b. f. poſſeſſoris &c. accipienda ſunt, quippe qui ſimiles ſunt conjugi, rem a conjuge donatam poſſidenti, adeoque in lucris, cæterorum b. f. poſſeſſorum jure non cenſentur; ſimilis caſus de b. f. poſſeſſore ad fructuum reſtitutionem, licet b. f. perceptorum adſtricto, deprehenditur *in L. 15. pr. ff. de condict. indebit.* Rationem vero, cur uxor duntaxat fructus induſtriales, non vero naturales ex re a marito ſibi donata ſuos facit, affert COCCEJ. *in jur. civ. Controv. Lib. 6. tit. 1. qu. 8.* his verbis: *Conjux in induſtrialibus titulum habet, donatio enim valet hoc caſu, quia non fit locupletior ex re donata, ſed ex ſua induſtria, ſecus*

*in fructibus naturalibus , hos enim lucraretur ex re donata , quod legibus prohibitum eſt , indeque quoad hos deficit titulus.*

# TANTUM.

# COROLLARIA.

1.

Legitima abſque ullo onere liberis relinquenda eſt.

2.

Actio legitima expletoria triginta demum annis expirat.

3.

Actioni communi dividundo nunquam præſcribitur.

4.

Conditio impoſſibilis conventioni adjecta eam vitiat.

5.

Legatum nominis, adjecta etiam quantitate, non debetur, ſi debitor non eſt ſolvendo, aut plane nihil debet.

6.

Uſuræ legatorum ex die relictorum, ſtatim lapſo die currunt.

7.

Diſpoſitio ultimæ voluntatis non legitimè facta valida eſt, ſi hæredes ab inteſtato eam approbent.

8.

Conſenſus in hypothecam ad certum tempus reſtrictus, eo elapſo, exſpirat.

9.

Nomina recte venduntur.

10.

Venditor de bonitate nominis non tenetur, niſi eam promiſerit.

11.

Venditor hæreditatis de ſingulis rebus emtori traditis, & deinde evictis, non tenetur.

12.

Fidejuſſoris hæres pariter ex fidejuſſione defuncti tenetur.

## SOLI DEO

## *LAUS HONOR ET GLORIA IN SÆCULA.*